



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Isidorus Conf. 12. Martij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

166 VITÆ SANCTORUM. 12. Mart.  
cogitavit. Sed mox impiæ mortis confi-  
lium morte ipse non unâ luit, toties mor-  
tuus priusquam moteretur, quot sub se-  
cure filios vidit mori. Ipse idem fatum  
cum conjugē contra omnium parentum  
voca ultimus subiit. GREGORIUM verò  
mortuum ferunt anno DC. IV. sed rectius  
vivere illum etiamnum, & immortale  
vivere in suis libris dicemus. Ex  
Suvio.

*Totis medullis cordium, totis precordio-  
rum affectibus, & votis omnibus MARIAM  
veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui te-  
tum nos habere voluit per MARIAM.*  
S. Bern. serm. de Natib. B. M. V.

S. ISIDORUS CONF. 12. Martij.

ISIDORUM rusticum virtus nobilitavit.  
Invidete vos, quibus honorum titulos  
vel cunæ alienæ donarunt, vel nummi  
turpiter mercari sunt. Quòd si ridere se-  
rico cachinno terræ filios lubet, cur non  
eodem risu excipitis Angelos, quos ISI-  
DORI vicem, dum hic precatur, sulcare  
non jam aërem pennis, sed aratro ter-  
ram, custodire non jam homines, sed ho-  
minis mulos, & baculo in lupos pugna-  
re conspiciatis? Nimirum, quorum  
conspectum vos horrorem, præsentiam  
nauseam ducitis, cum his nobiles cali-  
cives esse delicias suas putant; vos  
hircum interim his oletis; vobis  
cùm

12. Mart. VITÆ SANCTORUM. 167  
cū omnia adsunt, omnia desunt; at *Isi-*  
*doro* cū libuit, olla pultes dedit, & pau-  
per mensa pauculis fructa, hospites ea-  
dem totos pauperum manipulos admisit  
saturosque dimisit. Ite jam & scepro  
imperate homunculis timidis. Opilio  
noster baculo rudi toti naturæ imperat,  
& nunc aquas jubet ire, ubi non sunt a-  
quæ; nunc quos vos timetis morbos, &  
quam vos fugitis mortem fugat. Vos  
generosos terræ vermiculos, ne in præ-  
dam cedatis ignobilioribus vermibus,  
frustra myrrhæ armant, frustra balsama  
propugnant. At *Isidorum* annos ab obitu  
CCCC. & L. integrum servavit virtutis  
odor, quando laudes illius pleno ore  
campana æra suo pte motu impulsâ can-  
tarunt. Rectè igitur nobilitatem hanc  
anno M. DC. XXIII. Greg. Pon. Max.  
Cælitum honoribus condecoravit. Vos  
quoque qui largo pulmone nequicquam  
nobiles spiritus spumatis, è viâ cedite;  
Rusticus noster in cælo etiam reges  
præit. *Ex actis Canon.*

*Si in hac vitâ dolet esse pauperem, &  
inhonorem, quale est in perpetuâ patriâ de  
contemptu dolorem, de ignobilitate penam,  
de nuditate opprobrium sustinere? & tunc  
addici panis; quando pauper ducitur ad  
confessum Dei, & dives trahitur ad sup-  
plicium punitorum? S. Pet. Chryf. ferm.*  
22.